74 [?]

DE

MORBORUM REVERSIONIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

AD SUMMOS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES

RITE IMPETRANDOS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES FRID. RUDOLPH

ESSEQUEBO - AMERICANUS.

OPPUGNANTIBUS

I. H. G. HAFFMANS

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORE.

I. E. GABLER

THEOLOGIAE CANDIDATO.

DIE XXIV. M. MARTII A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

HOCCE

OPUSCULUM QUALECUNQUE

LITTERARUM SUARUM PRIMITIAS

SUMMO QUO PAR EST CULTU

IN

MAXIMAE REVERENTIAE

ET

SINCERAE DEVOTIONIS MNEMOSYNON

D. D. D.

AUCTOR.

Plurimos quidem ars salutaris humani corporis affectus nos exactius perspicere, ac integre sanare medicamentis usu et experientia comprobatis docet, multos vero, impar sanitatis vindex frustra conatur debellare, qui etsi profligati, recollectis tamen viribus caput iterum atque iterum extollunt, nec prius et medico negotium facessere desinunt et aegro molestiam exhibere, quam felicissimis rerum sub conditionibus et corporis natura penitus mutata, quale auxilium medicina nec semper afferre, nec ubique potest. Quantum inde miseris aegrotantibus periculum immineat, quam saepe medici indefesso conamini reluctetur ita ut opera et oleum in exstirpandis ejuscemodi hostibus perdatur, medicum paulo exercitatiorem non fugit qui medicamina innumerabilia e largo materiae medicae penu depromendo et experientiae per tot saecula congestum thesaurum perlustrando:

Saxum volvit nitendo, neque proficit hilum.
Cujus infausti eventus causa, ut clarius aliquanto intelligeretur, pernèccessarium esset ut morbi na-

tura penitus innotuerit, a cujus exacta cognitione quam procul absimus, non est quod pluribus commonefaciam.

Nihil medico tam arduum molienti negotium superest, quam ad symptomatum decursum animum aduertere eorumque complexu in aegrotantis conditionem argumentari. Quodsi ab omni aevo ubi observationes in morborum naturam institutae sunt easdem leges eorum decursus sequi in aprico est, quas aeternum numen rerum omnium fundamenta constituit (quod poëta, tam vere quam pulchre cecinit:

Principio coelum ac terras composque liquentes
Lucentemque globum lunae, titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet)

non minore probe jure persuasum nobis habere licet:

„Unicuique morbo certam ac propriam naturam esse: certa pariter ac propria principia, incrementa, status, declinationes" [1]) vel [2]). Oportet itaque quemque morbum suum percurrere stadium, quod per symptomatum seriem vicissim se excipientium attingi debet. Haec tamen lex non nisi ad eos morbos restringenda ubi naturae vires energia gaudent, earumque efficacia minus pessumdata est, quam ut ea facile suffocaretur.

---

1) Baglivi op. med. de prax. med. Lib. I. C. II. §. III.
2) Th. Sydenham. opera medica. Praef. Cap. V. feb. interm. anno 1661. 62. 63. 64.

Sin aegroti Constitutionem minus in censum vocamus, jamjam quantum morborum acutorum decursus, regulari tramite chronicorum orbitam superet, longe compertum habemus. Nec in dubium quidem vocandum, quascunque obviam habeamus mutationes, secundum certas contingere naturae leges, sed quia nos membrorum intercedentium nexus fugit, non nisi phaenomenorum chaos oculos nostros obnubilat, obcoecatque. Ariadnae nobis opus esset filum quo conductis, ea rerum claritas affulgeret quam gloriamur nobis obsplendescere, dum aliqua certe ordinis constantia nos arridet. An alibi quam in morbis chronicis, magis crises imperfectas, solutiones mancas, totaque molimina languescentia perspicies? An tibi morbi imago singulis sibi invicem oppositis lineamentis vel perverso tractu utilibet magis opprobrio fit, promissa tua magis frustrat, vel animi spem magis despondet, dum aqua tibi haeret? „Natura ideo deficiente aut repugnante, irrita artis molimina" [1]) nunquam non medicinae cardo manebit, atque sat difficilem morborum chronicorum sanationem excusat.

§. 2.

Dum morbus quicunque decursum suum absoluit, phaenomena ea, quae certo ejus stadio pro-

---

1) Gaubii instit. medic. §. 18.

pria fuerunt, cum transiit numquam eodem successu reverti debent, vel dum scalae suae quendam terminum morbus transgressus est, ad sequentem gradum transitus pro re nata impeditus, non alia phaenomena in lucem prodire faveat, morbi evolutioni minus consentanea, quae cum ita sint, utroque casu *recidivus* dici solet, naturali ipsius cursu intercepto.

Hujus momenti consideratio medico gravissima est, cum in aegri salutem praecipue discernat saepiusque magis, quam morbi primarii indoles medicum gravet. Dum aeger periculi voraginem effugerit, cumque aurorae splendor denuo ei affulserit, quidquid deterius in medium procedere potest, quam eventus hic infaustus, qui praeconceptam spem tollit atque laetificum nobis prospectum obvelat. Vel dum ei commodi aliquid inest, an ullo tempore medici solertiam magis vigilare oportet, quo minus detrimenti capiat aeger, praeteriti jam morbi vigore magis minusve exhaustus.

Quodsi tanti momenti rem esse sine fuco praesumimus, prae caeteris medici interesse autumamus, signa quae recidivam praecedere solent, recte perpendere.

§. 3.

De recidivae signis.

Qui secum reputaverit omnem naturae perscrutationem legibus aeternis constantissimisque

niti, facile etiam largitur huic fundamento artem medicam innixam veritates debere, quae hujus dignitatem constituant, atque omnem certitudinis suae fontem contineant. Veritatum harum cognitionem fidelibus debemus observationibus, non opinionum commentis quae delet dies ut Cicero ait, cum naturae judicia confirmet. In iis etiam positum est, quod hujus census; quo sinceriores perinde observationum fontes cogniti sunt, eo certiores nos factos esse, judicare licet. Hujus fidei testimonium medicinae pater, Hippocrates prae se fert, quae itaque ejus auctoritate fulciuntur ad hunc usque diem medicorum excellentissimorum suffragia meruerunt, cum naturae adyta nunquam conspurcavit, sincere vero, quae observaverit, annotavit, quem et Sydenhamus, [1]) qui in *semitas nullo antea pede calcatas*, desiderio vehementi methodum certiorem minusque lubricam expiscandi et stabiliendi, pertractus, Hippocrati laudando longe imparem se fassus est, quia doctrinam ipsius divinam perpetuo ille observatu confirmatam stabilitamque cernebat; quique errasse pluribus operum suorum locis scribit, quotquot ab Hippocrate desciverat, qui denique asseverat Medicinam, qui bona atque unice vera via in morbis cognoscendis et curandis processit, Hippocrati vel superiorem vel parem habuisse neminem —

---

1) Thomae Sydenham opera medica praefat. p. 10 et 11. Epistola ad Henric, Paman p. 356.

de quo idem dicit doctiss. Foesius [1]), Duretus [2]), ingens illud Galliae lumen, Baglivius [3]), ob singularem eruditionem nullo non populo acceptissimus; ut de caeteris omnibus taceam. Ei alii auctores aequiparandi qui observationum fide inclaruerunt, atque minus ingenii lusui indulgentes naturae vestigia non reliquerunt, ideoque fideles ejus interpretes, tam veri sunt, ut natura ipsa.

Cum vero ea omnia comparamus, quae ipsis in vero attingendo symbolam conferre, visa sunt, nunquam a se invicem tam discedere nobis compertum erit, quam*qui* commenta finxerunt, vel hypothesium imperio potiti, ita vagantur, ut vix quidem inter eos centrum commune reperires.

§. 4.

Primas ad hunc usque diem veterum de morborum crisibus tenuerunt observationes, nihilque magis ad rem pertinere existimo quam ea omnia animo perpendere, quae cautum atque indefessum studium exaravit. Quidquid contra obtrectatores disseruerint, et quidquid de diversa nostri temporis morborum indole protulerint, alii non minus hujus veritatis propugnatores reperiuntur, iique, qui observationum diligentia atque fidei

---

1) praefat. ad Libr. Epidem. maxime ad Libr. I et III.
2) in Coacis Hippocratis.
3) in tractatu de fibra motrice, pluribus locis, praesertim §. 1.

auctoritate valuerunt. Galenus, Swietenius, Sennertus, Hallerus, Sydenhamus, Baglivius, Hoffmannus, Boerhaavius, Freindius, Senacius, Pringlius, Quesnaeus, Lorry, Bordeus, Lepecq de la Cloture, Hufeland multique alii [1]) crisium dignitatem vindicaverunt. Longum foret atque inutile opus totum crisium negotium verbis eruere, cum, qui antea in hoc opere desudaverunt, plus praestiterunt, quam viribus meis attingere possim. Dum vero ea omnia signa quae felicem morbi exitum denotant, una comparemus, facile de infausto ejus decursu judicium feremus, atque hoc modo recidivae oriundae, judicia habebimus:

Ὁκόσοισι δὲ ἂν οἱ πυρετοὶ παύωνται, μήτε σημείων γενομένων λυτηρίων, μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσιν, ὑποστροφὴν προσδέχεσθαι ἐλπὶς τουτέοισιν. [2])

Haec jam a sene Coo animadversa fuerunt, et nemo naturae strenuus observator, ab eo inde tempore fuit, qui de sententiae hujus veritate dubitaverit! — Sunt morbi, qui revera non nisi singulis atque fixis diebus judicantur, et quorum celer atque insuetus transitus in sanitatem semper reversionis timorem movet. Non tamen dierum criticorum efficacia ita assumenda ac si numerorum certorum favor vel certis rationibus conjunctorum, quasi praesidium teneret, ita ut Pythagorae placuit. Morborum judicatio, quocunque die contingere potest, si juxta eorum na-

1) *Ideler über Krisen.*
2) Hipp. prognost. C. XX.

turam accidit [1]) et nihil mali exinde augurandum. Cum hujus veritatis argumenta ab auctore illustr. antea citat: e multis Hippocratis locis deprompta sint, nihil magis de quo haesitare fas esse videtur, ac quod alio loco: *Πυρέσσοντα ἢν μὴ ἐν ἡμέρῃσι περίσσῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπιάζειν εἴωθεν.* [2])

Sed quicunque in hunc aphorismum operam dederunt exegetae valde inter se discrepant, ita ut difficillimorum unus explicatu existimetur. [3]) Certe non credendum est, ut antea jam annui Hippocratem soli dierum numero aliquid tribuisse, sed tempus magis annotare voluisse, quo vis vitalis vigore suo praepolleret. Non infitias nempe eundem dies certas vel menses et annos esse, quibus corpus subeat quasdam mutationes; eodem modo sane in morbis certae quaedam periodi extent necesse est, quae morbi judicatione faveant. Cum vero vim vitalem alternis semper diebus actuositatem suam exserere compertum sit, non valdopere a vero fortasse aberrat, qui et huic sententiae jus suum vindicare susceperit.

§. 5.

Morborum judicatio vel insensibili modo fit, ita ut nullis signis manifestis patefiat, quod ly-

---

1) *Testa von den periodischen Erscheinuugen. Leipz.* 1790. *p.* 33.

2) Hipp. Aphorism. 61. Sect. IV.

3) *Sprengel's Apologie des Hippocrates.*

seos nomine audire solent, vel dum mutationes phaenomenis visibilibus prodeunt, quibus comitantur, crisin appellari cognitum est.

In diversis his naturae conaminibus judicandis praecipue Boerhaavii monita respicienda sunt, ne de vera eorum indole decipiamur, sunt vero:

a) Morbi decremento virium vitalium vigor respondens, adjunctus sit.

b) Dum morbi symptomata delinirent, vires vitales non infringantur, sed magis exserantur.

c) Corporis functiones ea qua solent energia, reagant.

d) Corporis humores, quo etiam secretiones et excretiones in statum naturalem redeant.

e) Pulsus denique qui a conditione naturali abalienati fuerunt, nimis excitati, celeritate vel tarditate, vel quocunque demum modo peccent, his omnibus anomaliis destituantur.

His praeceptis errores praecaventur, qui e simplici symptomatum consideratione vix evitari possunt. Non nisi cum omnes res, quae aegroti conditionem respiciunt, exacte perpenderis, de vera morbi indole te satis esse instructum, persuasum habere licebit:

Alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.

§. 6.

Singula criseos signa cum adgredior nescio, an melius incipere mihi consulerem, quam de iis, quae in *secretionis et excretionis* mutata in-

dole obveniunt. Singulari modo hae nempe secundum vis vitalis temperiem variant. Quam veteres iis adiudicarunt dignitatem ad nostrum usque diem valere, quemcunque praxeos medicae strenuum nunquam effugit. Cum vero singula recensendo omnes quos praebent modos omniumque variationum notas exhibere longius negotium foret, quam operae pretium existimo, dum hae semiologiae destinctiones speciatim minus thema meum respiciunt, minutias omnes me omisisse atque generalem magis conspectum exhibuisse, haud aegre feras.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῃσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιεῖν εἴωθεν. [1]) ex Hippocratis sententia, huc maxime referri potest. Quaevis enim mutatae evacuationes in diem prodeunt, materias certas secum habent, quarum e corpore eliminatio necessaria judicatur. Nusquam de sententiae hujus veritate dubium commotum fuit, quanquam de singularis hujus phaenomeni explicatione valde disputatum est atque nunquam non disceptabitur. Sitne virium actuositas, quae omnibus phaenomenis superior accipienda quam inculpare hujusque rei rationem sufficientem agnoscere oportet, vel phaenomena illa prava an contra de virium vitalium manca reactione derivanda sint, ideoque morbificae conditionis causae censenda, en magnum qui separat utrasque partes hiatum. Non meum est hoc

---

1) Aph. XII. Sect. II.

ultra prosequi, mihi vero haec omnia magni viri confessione comprehensa esse videntur: „Licet omnino nos fugiat in quo situm sit cujusque partis vitium et cujusque mali natura, observamus tamen quod suum quique typum habeant, certas pariter crescendi, decrescendique leges, sive periodos definitas et constantes. [1])"

§. 7.

Urina magis medicorum ingenia excitavit, quam caetera fere omnia. Intime dynamicis atque chemicis corporis mutationibus adhaeret, ideoque non infitias eundem ad corporis conditionem judicandam valde eam conferre atque ex intimis organismi penetralibus vera suggere re omina. Ab Hippocratis inde tempore magni eam existimarunt medici, sic ut nullibi non in operibus mentionem ejus faciant. Praecipue in recidivis praenuntiandis: *Τὰ πολλὰ ἐὰν, ἀπέπτων εὄτων τῶν οὖρων καὶ τῶν ἄλλων σημείων μὴ κατὰ λόγον εόντων, ἡ νοῦσος κρισίμη ἡμέρη [ἀφῆ], ὑποτροπιάζει.* [2])

Quanti vero urinae inspectio existimanda sit, attamen nimis ei fidentes saepius decepti sunt, ut jam longe cognitum fuit, [3]) vel ut Longius de ignorantibus urinae spectatoribus dicit: „Impune per hominum mortes experimenta agunt . . et nomen medici sibi vindicantes, in medicinae pro-

---

1) Bagliv: l. c.

2) Hip. de judicat: ed. v. der Lind. T. I. p. 444.

3) Alcmarius de incerto urinarum judicio.

féssionem ut fuci in aliena apum alvearia, nimis saepius irrepunt." —

Sudores si judicare velis, ut tibi de recidivis signum praebeant, necesse est, eorum quantitatem aeque ac qualitatem consideres. Scimus quantopere nimis sudorum profusio aegrorum vires exhauriat [1]), vel etiam virium defectum denotet. „Ὅταν ὑποστρέφῃ ὁ καῦσος, τὰ πολλὰ καὶ ἐξιδροῖ. καὶ ἢν μετὰ τὰς ἡμέρας λάβῃ ὑποστρέψας, ὅσας τὸ πρῶτον, ὑποτροπιάζει δὲ καὶ τρὶς ὁ πυρετὸς, ἢν μὴ περισσῇ ἡμέρῃ ἀφῇ ὑποτροπιάσας. [2])

Sic aliis Hippocratis locis de sudoribus judicium fertur, praecipue vero in epidemicorum libris I et III probatur, atque ejus Commentatoris, Foesii, notis quanti hoc signum fecerit. Omnes qui diebus intermediis proveniunt sudores, absque ullo in urina coctionis signo, vel dum moschi odorem sentiunt, vel pulsu duro, ventris tensione comitantur, quos anxietatibus praeteritis non levamen sequitur, sed aegritudo insueta et virium defessio, ni majus periculum ostendunt, morbi regressum praenuntiare solent.

Exanthemata cutis abnormi functioni adjungo, pariter atque metastases, quae morbi solutionem haud raro comitantur ideoque vel sponte evanescunt vel a medico exactissime curanda sunt. Semper mutatam aegri conditionem supponunt, quae

1) Gaubii institut. path. §. 561.
2) Hipp. de judicat. l. c.

quae nunquam in ejus salutem vertitur. In tota corporis superficie ejusmodi genera obveniunt: parotidum tumores [1]) capitis exanthemata, superciliorum tumores labiorum tubercula, nasi herpetes et sic porro, post quorum decessum reversionem fore, non sine veritatis specie timendum est.

Haemorrhagiae in permagno morborum numero necessaria atque fausta criseos signa sistunt dum modo ea, qua fas est, quantitate, talibusque proveniant locis. Cum caeteris ejusque traditis signis haec ab Hippocrate proponuntur: *Καὶ ἢν αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, λύεται τὸ πάθος, καὶ ἢν ἱδρῶτες ἐπιγίνωνται κριτικοὶ, γνήσιοι, μετ᾽ οὔρων λευκῶν καὶ παχέων, καὶ λείων ὑφισταμένων· καὶ ἢν ἀπόστεμά που γίνηται. ἢν δ᾽ ἄνευ τούτων λυθῇ ὑποστροφὴ πάλιν ἔσται τῆς ἀῤῥωστίης.* [2])

Aliis vero morbis minime conveniunt. Raro convalescentiae tempore boni aliquid notare solent, quia aegri vires exhauriunt ut languescat et qui in ejus restitutionem necessarii sunt nisus, minime exhibere valeat.

Excretiones alvinae ob magnum in oeconomiam animalem influxum non vulgari circumspectione considerari debent, easque omni attentione dignas jam Hippocrates existimavit [3]) Etsi diarrhoea tempestiva subinde morbum judicare

---

1) *Τὰ παρ᾽ οὖς οἷσιν ἀμφὶ κρίσιν γενόμενα μὴ ἐκπυήσῃ, τουέων ἀπαλλασσομένων, ὑποστροφὴ γίνεται.* de judicat: p. 445.

2) de victus ratione in acutis morb. T. II. p. 297.

3) Coacae praenotiones.

valeat ab ejus tamen inconsiderata suppressione pessima mala produci posse rursus infitias non eundum; si nimis longum tempus protrahitur, omnia exinde oriri possunt detrimenta, quae a corporis exinanitione produci solent, ideoque prae caeteris *recidivae.* Idem etiam de nimia alvi retentione dicendum est, quia faeces retentae digestionis functiones laedunt, corporisque recreationem offendunt. Praeterea singulare nobis signum bilis cum recrementis mixtio subministrat, quo praecipue in abdominis morbis utendum. Industria itaque vel maxima alvi dejectiones inspicere oportet, qui de aegri nutritione lucem capere, conatur. [1])

Sputa praecipue in pulmonum morbis caeterarumque viarum spiritualium clarissimam lucem earum conditioni afferunt. Eorum copiam, mixtionem, densitatem, formam, colorem caeterasque quae e semiologia innotuerunt notas perpendere oportet, qui rectum judicium ferre de morbo velit. In Coacis, Epidemicorum libris, prognosticis, multa exempla prostant, quibus patet, quanti Hippocrati fuerint.

Vomitus minus essentiale signum generale exhibet, nisi forte corporis nutritionem praepediri posse, reputaveris, eoque modo aegroti conditionem in pejus ruere, autumaveris.

---

[1]) *Zimmermann von der Erfahrung in der Arzneikunst* Lib. IV. Caput X.

§. 8.

Corporis consideratio generalis, singularum [p]*artium externa indoles*, in judicium nostrum de [a]egroti statu magnopere influit, atque signa exhi[b]et, quibus certiores de *recidivis* fieri possumus.

Aegroti volumen prae caeteris in sensus ca[di]t et magno fructu etiam nostram attentionem [i]n id dirigimus. Aeger qui post morbi decursum [n]ullam voluminis sui partem amisit, vel pro spa[ti]o parum emacrescere visus est, neutiquam peri[c]ulum evasit: „Si speciosior, et plenior aliquis et [c]oloratior factus est, suspecta habere debet sua [b]ona, quae quia neque in eodem statu subsistere, [n]eque ultra progredi possunt, fero retro quasi [r]uina quadam revolvuntur.“[1])

Idem etiam judicandum est, de contrario ae[gr]i statu, qui etiamsi optima quaeque et nutri[m]enta et medicamina roborantia exhibueris, nec [a]mbitu nec volumine proficit. Praecipue hoc [co]ntingere potest post causas debilitantes, hae[m]orrhagias, aerumnas, longum jejunium, vigilias [p]ost pneumonias et pleuritides male judicatas etc. [q]uibus non raro omnibus *recidivae* praenun[ti]antur.[2])

Externa cutis indoles signa nobis affert, quae [i]n aegri statum lumen repandunt. Scimus nempe

---

1) Celsus de medicina.

2) *Danz Zeichenlehre neu bearbeitet von Heinroth* §. 61.

magnam cutis dignitatem ejusque cum omnibus fere iisque principalibus organis consensum. Si nempe colorem suum naturalem non consecuta, aspera permanet, atque dura se tactui exhibet, vel aliis vitiis laborat, quae ejus functioni obsunt, sic tela cellularis aqua repleatur, exinde minorem cutis vigorem jure efficimus, quam in corporis salubritatem exigitur. De propriis partium singularium *tumoribus*, qui externe apparent, nimis longum foret recensere, quae de iis dici possint. Maximam vero prae caeteris attentionem *hypochondriorum tensio* meretur. Permultis causis haec gigni potest, semper vero actuositatem viscerum abdominalium laesam ostendit. Sive sit torpor intestinorum, languor hepatis atque bilis secretionis, sive lienis intumescentia, aliusque visceris interni mutatio. Raro tensio existit absque dolorum cruciatu, praecipue si manu paulo fortius adacta, profundius penetraveris. Appetitus deletur, accedunt ructus, vomitus iteratus supervenit, dejectiones oriuntur debilitantes, quaeque tristis sunt ominis se exserunt. [1])

§. 9.

Dum *respirationem* consideramus atque *sanguinis circuitum*, non difficile erit nonnulla exinde depromere signa, quorum indoles de aegroti conditione, lucem affert. Per se quidem nimis in-

---

[1]) Avicenna lib. Can. 4. fen. II. Tract. I.

certa sunt, et minime sufficiunt ut judicium nostrum regant, sin autem aliis signis ea adjungimus, certiores sane fiemus. *Respiratio* pulmonum et viarum spiritualium conditionem tradit et cum hae partes tam arcte vitae generatim junctae sint, non male de earum functione vitae statum argumentemur. Praecipue si pectoris morbi praecesserunt, spiritus nobis in *recidivarum* timore, consilio erit. Dolores cum revertuntur respirando, vel dum respiratio fit anhelosa, intercepta, inaequalis, stertorosa, et sic porro de functione pulmonum laesa nobis persuasum habere licet, quam mox totius corporis labes insequitur. Respirationis mutatis conditionibus etiam *vocis* abalienatio adjudicari meretur; si nempe debilis fit, et eo, quo antea fruebatur clangore, privatur, vel aliis vitiis depravatur, aegri conditionem in pejus ruere concludere licet. *Pulsus* est signum maxime variabile [1]) et magna prudentia opus est, si quis ex eo solo aliquid efficere conatur, et cavendum ne in errorem protraharis. Caeteris quae adsunt signa adjuncto, certe eo uti possumus, quia cum ejus perfectam notionem aliquis sibi adsciverit, non facile errorem committet. E praegresso pulsus statu si eum comparaveris cum praesente et cum morbi stadio, quid significet, tibi clarius elucebit.

---

1) Forma, crasis, sexus, aetas, gravidatio, somnus
Et locus et tempus, labor, esca, repletio, potus
Causa, genus morbi, coitus, turbatio mentis
Corporeique situs variant idiomata pulsus. Egidius.

§. 10.

Sunt certa signa, quae e *positivo aegroti statu* *subjectivo* depromuntur, quorum respectu nobis magna cura necesse est, ut ea recte judicemus. Cum systemati nervoso adpertineant, vitae foco magis adhaerent, quam alia symptomata, ideoque majorem in aegri conditionem influxum exhibent. *Somnus* si placidus est et tranquillus mire dictu, quantum aegroti refocillet vires. Contra vero, cum perturbatus est insomniis, vigiliis et deliriis, vix conspici potest, quantum exinde aegroto mali enescatur. [1]) Aeque vero signum malum est etiam somno ultra debitum urgeri [2]) aeger exinde perpetuo detinetur languore, perinde si stimuli consueti in eum minime agere possunt, vires restitui non permittit; generatim vero nervorum functiones ita adhuc aberrare denotat, ut viribus auxiliatricibus exserendis minime valeant.

Dolores qui aliquam corporis partem male habent, ad quam mens postquam perceperit, refert [3]), nunquam absque aegri magno detrimento longe perdurari possunt; functiones nervosae valde laeduntur, et si eos magnum malorum fontem recipis, facile etiam iis morborum *recidivas* praenuntiari largieris.

---

[1]) Ὑποστροφαὶ λαμβάνονται, οἷσιν ἂν ἀπυρέτοισι γινομένοισιν ἀγρυπνίαι ἐῤῥωμέναι προσγίνωνται, ἢ ὕπνοι ταραχώδεες. Hipp. de jud. l. c.

[2]) Celsus Lib. II. C. IV.

[3]) Gaubii instit. path. §. 670.

Sensus caloris et frigoris inter mutationes referri potest, quae saepissime aegrum invadunt, cum morbi aggressus iteratur. Quam intimo connubio calor animalis constans cum vi vitali cohaereat, vetus illa Hippocratica schola bene perspexit. Quid quod immortale esse, et omnia scire omniaque cognoscere id, quod *θερμόν* vocamus libri *περὶ ἀρχῶν* auctor praecipit. Itaque intime morbi mutatae conditioni junctum esse caloris gradum longe jam perspectum est, inde a remotissimis temporibus. Nihil communius est quam febrium intermittentium paroxysmos, exanthematum eruptionem, inflammationum ingressum, his perceptis sensibilitatis vitiis praenuntiari.

Debilitas post morbi decursum persistens e permultis signis cognoscenda, [1]) normalem functionum actuositatem nondum reversam esse denotat, qua propter alimenta assumpta vix et ne vix quidem digeruntur, iique molestissimos adducunt accessus. Omnis in eum adhibita cura nullius utilitatis est. Defessio atque post levissimos motus, defatigatio sequens, vel etiam in omnem corporis vel animi nisum aversatio, in lecto remanendi cupiditas, praecipue hanc aegroti conditionem signifant „Et significatur quandoque erit *recidivatio* e debilitate virtutis [2]) etc."

---

1) Heinroth l. c. p. 243.
2) Avicenna l. c.

§. 11.

Sensus eorumque organorum status, observatori attento diversa signa exhibent, e quorum dijudicatione in aegroti conditionem efficere licet, et quorum indoles caetero corporis habitui comparata, disquisitioni de *recidiva* timenda clariorem lucem suffundet.

De *surditate* post morbos remanente non semper aliquid mali augurandum ut proponit Hippocrates: Surditatem quae ex critica perturbatione procedat, quamque alia signa comitentur salubrem esse.

Si vero post morbum tanta auditus receptivitas superest, ut aegri a minimo sono laedantur, cum plerumque hic status jam caeteri systematis nervosi abalienationem supponit, nonsine timore a nobis judicandus est.

Visus et *externa oculorum indoles*, multa signa praebent, quae ab Hippocrate, ingenii acumine ei proprio, reserata sunt, cuique nulli medici non assentiunt.[1]) Si aegri non clare vident, eorumque obtutus velo impeditus videtur, vel aliis visus molestiis conflictantur, iis functionum integritas non eousque rediit, quin a *recidivarum* timore liberarentur. *Oculus* si splendore ei proprio non renitet, sed fractus et vitreus est, multisque lacrymis abundat, post morbi stadium, certitudinem de

---

1) Les yeux, spécialement par la multitude des phénomènes qu'ils offrent, peuvent à juste titre être regardés comme le meilleur nosomètre etc.

Petit Radel Instit. de Médecine T. II. p. 213.

perfecta aegroti sanitate suspectam reddere debet.

Olfactum quod attinet, saepius depravatum reperimus, atque a norma recedentem. Saepius aegrotus aliena sentit, quorum perceptio non rebus externis adjudicanda est, vel res quae sensibus suis gratae fuerunt, non eadem jucunditate eum afficiunt ut solebant, multaque alia accedunt a statu sano declinantia, quae *recidivae* timorem movent.

Sapor aegrorum dum non revertitur, atqué nullo ciborum genere delectatur, iisque qui maxime ab eo deligebantur, si in ciborum aspectu imo horrorem persentit atque in sola eorum memoria perhorrescit, exinde jure judicandum est, *recidivam* fore. Sed de contrario etiam statu non minus impelli debemus, ad judicium nostrum de aegri bono coërcendum, praecipue si magnam ciborum copiam absque corporis relativo augmento capit (v. §. 8. h. diss.). Accedit dum cibi in stomacho remanent dyspepsiam produci ab eorum corruptione, hypochondria tumere; inflationes ventriculi oriuntur et borborygmi, sitis atque oris siccitas cum singulari faciei livore, quibus quid sibi velint, mox manifestatur. — Singulares etiam aegrotorum sapores si paulo exactius observaveris, aliquid peculiaris revelare solent, sic a sapore aeruginoso febris intermittentis *recidivam* praenuntiari observatum est. [1])

Tactus minus nobis inservire potest, quia non

---

1) Heinroth l. c. §. 241.

tam clara phaenomena exhibet, quibus judicium fas est. Quod coenestheseos mutationes attinet, quae non sine idearum confusione hic saepius annotantur, de iis partim jam locutus sum.

§. 12.

Functiones animi hoc modo in aegroti conditionem concludere nobis permittunt, si antea eas cognoscere nobis licuit. Haec signa fallacia quidem sunt, quia experientia teste non raro a morbis interna aegrotorum dispositio sic permutari potest, ut eum vix eundem crederemus, quamquam hac ratione nullum signum nobis praebeant. Medici ingenium hic etiam aeque ac in tot caeteris casibus discernere debet, ubi non nisi generalia artis praecepta prostant. In objecti mei favorem, haec signa adduco: Si aegri perceptio lenta est, attentio debilis et non nisi magno aegri nisu perficitur, memoria obliterata, idearum nexus, qui ejus proprium, non revertitur, judicium perversum, caeteraeque mentes facultates restrictae sunt, magis quam ante morbi ortum, omnia haec symptomata organismi laesionem ostendunt, quae cum aliis corporis functionibus laesis, nondum in justam actuositatem ultimas causas motrices reversas esse, manifestant.

Multa alia *signa* adhuc recensere potuissem, cum praecipue cujusque morbi natura singularia suppeditet, quae in censum vocari merentur, sed sufficiant haec, eousque exposita, cum immensum

quem ingressus sum campum numquam si plane peragrare vellem, derelinquerem.

§. 13.

De recidivarum periculis.

Generatim quidem omnes *recidivae* primario morbo multo periculosiores sunt, quia non infitias eundum aegrotorum vires jam exhaustas, novam quasi pugnam sustinere non posse. Ejus veritatis testimonium ab Hippocrate pluribus affertur locis „*Ἢν γὰρ θεραπευθεὶς ὑγιής τε γενόμενος μὴ ἐν φυλακῇ ἔχῃ ἑωυτὸν, τοῖσι πολλοῖσιν ὑποτροπιάσασα ἡ νοῦσος αἰτιή τῆς απωλείας ἐγένετο.* [1]) „*Τοῖσι δὲ πολλάκις ὑποτροπιασθεῖσιν, ἢν ἑξάμηνον ὑπερβάλλωσιν, ἰσχιατικὴ φθίσις ἐπιεικέως γίνεται.* [2]) „*Ἀλλὰ ταύτῃσι μὴν τῇσιν ἡλικίῃσιν ὑποστροφαὶ τοῦ νουσήματος ἐπιγινόμεναι ἀποκτέινουσι τοὺς πλείστους.* [3])

Si vera *recidivarum* pericula perfecte judicare velis, necesse est, caetera, quae aegrotum attinent exactius perpendas: Morbi naturam, remediorum adhibitorum efficaciam, aegri constitutionem, aetatem, sexum, temperamentum, causas in iis producendis activas taliaque multa, quae medici circumspectio mox deteget, singularique casui applicabit. Non vero contrario infitiandum, multos existere morbos, qui simplici periodorum cursu

---

1) Hipp. de internis affect. T. II. p. 199.
2) Hipp. Coac. praenot. T. I. p. 533.
3) Hipp. Prognost. T. I. p. 466.

minime exstirpari possint, in quorum itaque sanationem naturam, plures oportet *recidivas* facere, in beneficium aegri assumendas.

§. 14.

Recidivarum cura.

Medici est *recidivas* quas timet praecavere, sin autem huic officio nulla magis occasio data sit, jamjam existentes *recidivas* curare debet.

I. De recidivis praecavendis.

Necesse est huic scopo obtemperanti omnes, quae *recidivas* parere valeant, causas examinare, quo facilius evitari possint. Cum vero morbi ipsius tempore causae procedere possint, *recidivis* faventes, generatim disseram de earum ratione, — deinde de convalescentiae regimine loquar, quod nempe faciendum sit, ne hoc tempore *recidivae* oboriantur.

a. morbi tempore.

Dum morbus decursum suum sumit, multae quidem causae obvenire possunt, quae in eum agunt atque stadia perturbant; has speciatim annumerare scopum meum excederet. Generaliori lege quo se modo medicus gerat, comprehendens, hanc regulam fundamentalem propono: Naturae autocratia nunquam non magni habenda, ejus conamina sacra fide perscrutanda, atque nunquam

remediis perversis, molimina ejus perturbanda. Ab omnibus medicis qui praxin magis ad hominum salutem exercent, quam theoremata in animi ludibrio atque vanitatis jactatione, excolunt, medicum minime naturae imperare quam ei obedire, acceptum est. [1]) Si huic veritati magis medici studerent, minus saepe eventus hujus tristis detrimentum animadverteremus. Quantopere crisium perfectio necesse sit, regularis atque perfecta, persuasum nobis esse debet, dum optimorum observatorum fidei credimus, ideoque nunquam iis praesentibus de falsa aegri salute frustrabimur.

b. de convalescentiae moderamine.

Praecipuum medium cui perpetuo aeger inest, aër athmosphaericus prae caeteris respiciendus est Ἰητρικὴν ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητεῖν, τάδε χρὴ ποιέειν, πρῶτον μὲν ἐνθομέεσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος, ὅ,τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη. [2]) id cum generatim valeat, majore jure convalescentiae tempore, veritatis laudem acquirit. Sit aër quo aeger degit, siccus, serenus, temperiei 14 — 15 R: Si anni tempus aegri sanationi fauet, ejus commodis uti necessitas urget. Nunquam enim arte, atque omni solertia adhibita, quae anni con-

---

1) Bagliv: cap. §. 1.
2) Hippoc. de aëre, aquis, et locis. T. 1. p. 317.

stitutio denegat, substituere nobis contingit. Cujusque vero anni tempus in aegroti favorem immutandum est, ita ut aestate nimius calor impediatur, autumno temperiei vicissitudo prohibeatur, dum aegrum in conclavi retinemus, morbo ipsius conveniente. Conclave quantum nobis licet, meridiem versus positum, ab aëre puro, sicco, et sereno perflatum eligamus. Aër ipse ab omnibus inquinamentis vel exhalationibus pravis contaminatus evitari, omnibusqus modis corrigi debet [1]). Si vero aër frigidus est et aegroti corpori infestus se praestat, vestimentis idoneis ob eo praecaueatur. Generatim jam aegroti in rerum externarum impressionem tam sensibiles sunt, ut nullo modo magis eorum sanitatem tueamur, quam si eos ab iis omnibus removeamus, et non nisi sensim admittamus.

Lintea saepius permutentur. quo corporis mundities conservetur, atque cutis vigor promoveatur. Nihil aegrum magis recreat, quam hujus rei cura, dum ea neglecta frustra morbi diuturnitatem eluctari instituimus. Nec lectis etiam se aeger committat, qui stragulis nimis duris atque luridis eum molestent atque sudores extorqueant, ipsius vires exhaurientes. Capillitii cura non parvi aestimenda; non quidem magna detrimanta

---

3) Nisi aër cubiculi ut par est renovetur, ita effluviis ex aegrotantis assidentiumque corporibus emissis efficitur ut ineptus tam respirationi quam perspirationi perficiendae evadat. Burserii Instit. med. V. I. p. 71.

timenda dum pectantur crines utque a sordibus morbi tempore productis purgentur, sed ea cautione tamen suscipiendum est ne nimis divellantur, quia facile nervorum accessus prodirent.

Maxima vero cautione vigilandum est ne capillitium rescindatur, diversissimorum malorum fons ab omnibus fere medicis recognitus.

Alimentorum et potuum administratio maximi est momenti, cum si recte te gesseris vix dici potest, quomodo convalescentiae tempus abbrevietur, cum perversa eorum exhibitio contra, omnibus periculis aegrum exponere possit. Ea nutrimenta aegris praecipue conveniunt, quae minima mole maxime corpus alunt: limacum juscula, oryzae cremor, Sago, Cacao, Salep, carnium tenuiorum diluta paulo vini generosioris nupta. Cum digestionis vires jam accreverunt alimenta solidiora jam in usum vocamus, carnes assas vel elixas jumentorum, vel alitum, perdicum, piscium et si opsoniis aeger delectatur jam iis indulgere possumus; poma ipsa parca manu data, ei non facile nocebunt. Omnem autem venationem, carnes salsas vel fumo praeparatas evitet, itemque oleosa et pinguia, quippe quae facile digestionem offendunt. Generatim vero caveat medicus, ne in duo vitia sibi opposita vertatur: ne nimia quantitate aegro nutrimenta capere permittat [1]) uti praecipue infe-

---

[1]) *Τὸ γὰρ σῶμα ὑπὸ μὲν τῶν σιτίων ἴσων ἴσως τρέφεται, ὑπὸ δέ τοῦ σώματος τά σιτία κρατέεται. ἐπὴν δὲ πλέον ἢ ἔλασσον προσενέγκηται, ἢ ὡς ἄλλο μεταλλάζας, κρατέεται τὸ σῶμα ὑπὸ τῶν πρόσσοισ μάτων.* Hipp. T. *1*. p. 395.

rioribus populi classibus fit, ab eo errore seductis, eo celerius aegroti vires refocillatum iri, quo plus alimenta ingurgitarent — contra vero ne nimis strictam aegroto diaetam praescribamus, uti morbi tempore necesse fuit. A sufficiente et corporis restitutioni chylo necessario privatus, vires languent, et morbi fons haec diaeta ipsa recipi debet. Consuetudo, temperamentum, aegri aetas, constitutio caeteraque caeteroquin regulas speciales suppeditant.

Potus pro rerum conditionibus eligantur, attamen nec nimis irritantes nec nimis insipidi sint, incredibile est dictu, quomodo aegri viribus refocillandis valeant: Vinum generosum, Cerevisia perfecte fermentata, Cidrus etc., caeteris omnibus praeferri merentur; fortiores vero potus: liquores destillati, aquae vitae non nisi pro re nata in medici singulari jussu permittantur.

Corporis vires, dum exercentur etiam augentur, atque ob hanc causam nunquam ab aegrotis negligi debet gestatio et exercitatio. Initio motu magis passivo uti licet, in curru, lectica, cymba vel equo tranquillo, cum vero vires magis expeditae sunt, convalescenti motus magis activus convenit. Musculi eo roborantur, sanguinis circuitus incitatur, pulmonum actio evolvitur, appetitus provocatur, atque animo amoena et salutaris distractio conciliatur. Ambulatio prae caeteris motus speciebus in usum vocari meretur, eo usque ubi non virium defessio eam sequatur. Calori animali moderato motu, qui vitae tam necessarius est, fa-

vetur,

vetur, et omnium organorum motricum functio adaugetur. Post talem motum levioris generis aeger certo quodam voluptatis sensu se somno tradit, qui novas in eo vires accendit, atque singulari vigore organismum fortificat. Non nimis longo somno tamen se aeger confidat, vires suas exhaurienti atque sanitati recuperandae impedimentum ponenti. — Abstineat aeger ab omnibus immodicis, prae caeteris vero coitum evitet, quamquam a libidinosis imaginibus ad eum incitetur. Sit aegri animus laetus, tranquillus atque placidus, spei prosperae prospectus eum saepius recreet. Omnes ideae obscurae atque deprimentes exterminentur, anxietas, animi motiones tristes, dolor, caeteraque animi pathemata longe ab eo removeantur. Effectibus laetis ipso etiam parcendum, quia nimis fortes in ejus corpore excitant motus, quorum detrimentum non raro perceptum fuit. [1]) Nec etiam inclinationibus suis vel nisi manifeste nocentibus oppugnandum, quia, quem vocamus naturae vocem, instinctus, non raro in aegri salutem aliquid exserit quod nobis minime patefiat, vel si amore aliquo in re occupatus est, ea restrictione ei concedendum, ut nulla exinde progignantur mala. Balnea si caute administrantur maximo aegrorum emolumento adhiberi possunt. Eorum temperies a corporis receptivitate dependet, ita ut vel frigidiora vel ca-

---

[1]) *Zimmermann über Erfahrung.*

lidiora sint. Si magis irritantia in usum vocare nobis propositum est, herbas aromaticas adjicimus, vel alias res stimulantes. Cutis energiam dum recreamus etiam totius corporis vigorem efficimus. Dum aër, ejus indolis, ut supra recensui, aegroti corpus perstringit, balneorum bonus effectus valde adaugetur.

II. Recidivarum cura medica.

Generatim quidem diaetae usus conformis jam convalescenti sufficit, ut sanitas restituatur, aegroti medicinae abundantia saepius defatigati, non raro aversione indignantur, qua longior medicamentorum administratio propeditur. Exempla attamen multa prostant, quibus medicamentorum continuum usum non nisi magno aegrotorum damno neglectum esse, constat. Medici tunc est aegroti animum in his casibus exhortari, omnia incommoda depingere, aegrumque determinare, ne aliorsim detrimentum capiat. Si jam aegri vires a morbo eo usque exhaustae fuerint, ut magna debilitate vexaretur, non aliae viae supersunt ac medicaminum administratio, confortantium atque roborantium, nisi recidivae timor moveatur. Sunt certi morbi quibus sublatis nunquam credendum est, eos perfecte jam exterminatos esse, quorum reditum non nisi medicaminum continuo usu prohibemus: sic febres intermittentes non raro eandem Chinae quantitatem exigunt, ac in earum cura adhibuimus, dum paroxysmi primo decidunt. Post alios

morbos per nonnullum temporis spatium necesse est, alvum ducere, ut post exanthemata acuta: scarlatinam, morbillos, variolas etc. adeo ut cutis functionibus suis recuperandis par sit, ab aquosa colluvie saepius suppressis. Si vero fortuito alii accessus supervenirent, ut status gastricus, vel catarrhi, capitis dolores, medicaminum purgantium usus, saepius conclamatus est, vel demulcentium atque derivantium.

Quodsi vero denuo morbus revertitur, qui jam adfuit, vel singulari quadam natura praeditus, ejus curationem secundum particulares omnes proprietates adgrediamur necesse est. Ejus causae indagantur, ejus character eruitur, omniaque alia, quae res exigat momenta considerantur, quae ab aetate, sexu, temperamento, vivendi modo, aliisque individui proprietatibus dependent.

Denique haec regula generatim resumi potest: Remedia leniora in usum vocanda, quam in morbo primario, quia natura non tam forti vi reagere valet, ideoque remediorum paulo fortiorum impetum sufferre impar est. Quodsi vero a remediis antea administratis stimulorum vis non sufficit, non infitias eundum, fieri posse ut remediis etiam fortioribus utendum sit.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Cordis vasorumque actiones a nervorum influxu derivandas, contendo.*

2. *Pulsuum originem ab arteriarum contractione explicandam, non de cordis ictu mihi persuasum habeo.*

3. *Mentis cum corpore commercium, qui dilucidare vult, principii petitionem committat, necesse est.*

4. *Inflammationem asthenicam, nego*

5. *A venae sectione omissa ubi indicata est minus damni timendum quam ab instituta, ubi non indicata est.*

6. *Melius esse remedium anceps in usum vocare, quam nullum, ut Celso placuit, nego.*

7. *Morborum causas materiales qui agnoscit proximas, organismi leges negligit*

8. *Chirurgiae prae Medicina medendi securitas non nisi imaginaria est.*

9. *Quo magis compositum instrumentum chirurgicum eo minus utile.*

10. *Dum licet operatio chirurgica semper post reactionem traumaticam instituenda.*

CURRICULUM VITAE
E DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
A D J E C T U M.

Ego Ioannes Fridericus Rudolph die IX ante Calend. Decemb. A. MDCCXCIII. Rio Essequebo, Americae australis Colonia, ejus temporis belgica, a parentibus germanicis natus sum. Religioni secundum Calvini formulas addictus.

Postquam mater mea dilectissima fatis cesserat; pater meus chirurgi militaris primarii munere fungens, stipendium merere desiit, atque Europam petiit. Annos septem natus patris patriam salutavi, Argentorati, marchiae Ukeraniae oppido, nunc degentis, vitaque post tot rerum discrimina, umbratili fruentis.

Quibus litterarum rudimentis aetas infantilis instrui solet, ibi me imbui curavit. Ut porro litterarum limen attingerem, me pater carissimus,

variis illius oppidi pastoribus, pia semper mente colendis tradidit, qui viam ad humanitatem mihi munirent. Cum denique studii ineuntis tempus appropinquaret, arsque salutaris mihi mirifice placeret, in seminarii regii medico-chirurgici militaris alumnorum numerum receptus sum, ubi per quaedriennium, quantopere valui, Medicinae et Chirurgiae operam dedi. Tempore praeterlapso ita ut hujus seminarii alumni solent nosocomium caritatis adii, ibique Chirurgi munere functus, utilitatis tantum hausi, quantum vires valuerint.

Bellum quod Francogallici A. MDCCCXII. Rossiae intulerunt, effecit ut post quinque vix transactos menses militiae interessem, atque sauciorum curam in me susciperem. Clades exercitus gallici servitutis jugum frangendi Germanis occasionem dedit, et bello denuo accenso, cum patriae gloria et regis Vox, totum fere populum ad arma exhortaretur, et ego officio meo affui.

Post tot tantasque res gestas, quibus Germania inclaruit, denique pax reconciliata fuit, et in penates redire licuit. Nunc ad almarum musarum tutelam animum vertere quemcunque temporis salebrosi voragini effugitum, decet. Mihi quidem fausto eventu contigit, hanc excelsam litterarum sedem aggredi, ubi studium denuo amplexus Medicinae ac Chirurgiae summos honores nunc ambio.

Omnium praelectionum per studii tempus grata mente ab excellentissimis celeberrimisque professoribus, habitarum, Commentarium breve adiicio.

In philosophicis et mathematicis me excoluerunt beat: Kiesewetter clar. Hegel et clar. Ideler, in physica atque chemia cel. Turte, in magnetismi, galvanismi et electricitatis neque minus in lucis et caloris theoria, aeque ac in principiis physicae metaphysicis celeb. Ermann, in botanice beat. Willdenow et cel. Link.

Anatomiae professores mihi fuerunt illust. Knape et Rudolphi, cujus in anatomia comparata, physiologia, entozoorum historia naturali nec non organorum sensuum demonstratione et anatomia pathologica, grata mente agnosco institutiones. Cl. Lichtenstein de Zoologia praecipientem revereor me instituisse. Beat Hecker in praelectionibus suis pathologiae, semiotices, therapiae generalis et specialis deque Chirurgia medica, harum doctrinarum principiis me imbuit. Ill. Hornii praelectiones de pathologia speciali frequentavi, illustr. Guil. Hufeland de materia medica ac therapia speciali disserentem audivi. Ill. Knape de Arte formulas medicas concinnandi tradentem, adii, illust. Berends interpretationibus A. Celsi interfui. Ill. Graefe praecepta Chirurgiae generalis et specialis hausi.

In curationibus manu faciendis mihi praeceptores fuerunt, celeb. Mursinna et Rust, atque ill. Graefe, in arte obstetricia celeb. Mursinna et Kluge, in medicina forensi illust. Knape. In institutionibus practicis illust. Horn atque celeb. Mursinna et Rust praeceptores habui.

Tentamine et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica jam peractis, nec non cursu anatomico et chirurgico absolutis, opusculum hoc elaboravi, quo publice defenso, spero, ut summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur, fore.